

Applausus votivus,
cum maximè
reverendus &
amplissimus dn.
Enevaldus
Svenon...

Aenelius, Georgius Olai

1 Ic Fol.



National Library
of Sweden



Applausus votivus,

Cum

Maximè Reverendus & Amplissimus

**Dⁿ. ENEVALDUS
SVENONIUS,**

**S. S. Theologiæ Doctor celeberrimus
& in Regia Academia Aboensi Professor**

Primarius &c.

RECTORIS MAGNIFICI

Munus capesceret

Anno MDC LXXXV

ad diem 25. Junii.

*Letabundo cordis affectu declaratus
ac datus à discipulis ejusdem humilissimis.*

ENEVALDUS SVENONIUS






Personet Laus,
Tripudiet honor,
Triumphet Gloria!
Etenim,
Jam virtus imperium obtinet.
Gaudeant in sinu!
Quotquot hoc aureo felicius fruuntur ævo;
Qvo,
De conservando publico, in communi
Adlaborant naturæ rerumque dominatrices:
Dum salutaria, consultatione fideli dispiciat
PRUDENTIA,
Dum cuique suum zelo sanctiori tribuat reddatque
JUSTITIA,
Dum adversus injuriam æquitatis ergo militet
FORTITUDO,
Dum rerum expetendarum Fugiendarumque modum teneat
SACRA TEMPERANTIA:
Dum inquam ad tranquillitatem & salutem Reipublicæ,
sic agantur curæ.
Exhilarescant illi,
Quorum satis interest ex tenore venerandi decori
Illud obire munus quod injunxit ratio.
Latetur quæso lateretur
Hoc felici, fausto, auspicato sydere,
Nostra Patria,
Nostrum illustre lyceum,
Cui, continuo per annos retro multos,
VIRTUS IMPERIORUM DOMINA
Prudenter consuluit,
Justè præfuit,
Idemque
Fortiter defendit,
Modeste rexit
Per viros multijuga laudum adoreâ Dignissimos,
Per Patronos Excellentia ac Reverentia
Amplissimos,
Magnificentissimos.
Horum nunc merito primum tenet locum
Maximè Reverendus atq; Præcellentissimus Dn.
E NEVALDUS S VENONIUS
S. S. Theologiæ Doctor celeberrimus.

Ad

Ad quem augustissimi Apollinis imperii potestatem
 Jam quartò transfert, non cæcus, non fortuitus
 Sorris indultus, sed cordata
MODERATRIX RERUM PROVIDENTIA;
 Probè gnara tantum vicarium,
 Pro more quem servat pristinum,
 Pro fide, quam præstat inveteratam,
 Pro gloria quâ coruscat floridâ
 In Rempublicam ipsi denuo commendandam,
 Sic officia, sic studia, sic beneficia collocaturum,
 Ut
 Sui laudem tot seculorum assiduo cultu percelebrem,
 Inter æternas referat perennitates;
 Ut
 Salutem commodumque publicum in tantum promoveat,
 Quantum nec ætas, nec ævum prædicabit dignè;
 Ut denique
 Suam ipsius, vel jam in solidum celebratissimi nominis,
 Cumulatam gloriam singulari roboret insigni.
 In tale, Euge Tale
 Erumpamus gaudium,
 Tantum nobis gratemur auspiciam,
 Cives Academici;
 Deo Rectori summo gratias præprimis agendo devotas,
 Quod
 Sacratissimam hanc honestatis arcem
 Sic deinceps quadrato communire dignatus sit
 Umbone:
 Vota dein' subjungamus calida,
 Servetur diu beneque Magnificentissimus Dn. Rector,
 Salvus ac superstes,
 In Divini nominis æternam gloriam,
 Grande Virtutis Emolumentum,
 Ac proprium immarcescibile decus.
 Quod animitus exoptat
 M. Dn. Rectoris
 Subditus ad fidem & obsequium cernuus
GEORGIUS ENELIUS
O-Botbn.

ENEVALDUS SVENONIUS

S. Thejologiæ Doctor Celeberrimus O.
Αναγεγραμμένος mut. h. in l.
Columen Religionis Sane. Dei Electus. Sodes Voveto Robur.
 Elaboratio.


 Ædala gens apium thesauris dives opimis
 Desudans super aëre summo;
 Murmura magna ciet cum terminus imminet ævi
 Jam Regi, redit & brevis hora

Tempo.

Temporis angusti: cunabula grata relinquunt
 Defuncto cur Rege Qvirites.
 Hinc veriti motus mox suffecisse priori
 Heus! votis communibus instant
 Purpureum Regem, qui ritè coërceat æstus
 Exortæ fors seditionis.
 Nos coqvrit æqualis mœror Rectore, decora
 Sceptra, gravi ponente vicissim.
 Amplius at faciem peplo ne curre voluta
 Piëridum Lectissima pubes.
Philosophum derivat enim palmaria fama
 En! Moderamen, Apolline dextro
 Magnificum, in gremium speculi splendentis opinor
Thejologi, in quo frontis alumni
 Qvos chariteia suo poliebat munere triga
 Inspiciant, & fulmina justî
 Ediscant Zeli; cynosuram moribus aptent,
 Militiam quò hanc ritè sequantur.
 Cur SANÆ COLLIMEN jam RELIGIONIS aveto!
 ELECTUSQÛE DEI ære tabellis
 In nostris vivas sic vota, perennius, optant
 Cunctorum queis pectora sana.
 Hoc sene nil majus terris meliusve dedere
 Divorum largissima fata.
 Quisquis es huic SODES ROBUR de corde VOVETO,
 Ut valeat fera turbinis atri
 Fulmina, centauris affinès si qua coruscant,
 Excipere, & torquere superbum
 In caput, indutus loricam *Virginis*! optans
 Sic, nostris inspiret avenis:
 Vive diu Reverende senex! te vindice pacis
 Cessabunt benè mystica bella.
 Fascibus insignis moderamina justa tuere
 Lentescere nescia cuiquam.
 Pluribus atqve annis vivacem Nestora vince
 Felici donate Salute!
 In Patriæ cum sic diuturnus vixeris usus,
 Demigres in candida tecta
 Verticis ætherei! viridaria cincta Smaragdo
 Cælestes ubi cernis ad agros.

Magnif. & Admodum Reverende V:æ Dig.
 Cultor devotissimus

Mente humilis tenui in ducebat pulvere sulcos.

JACOB, Z. JULENIUS
 O-Berhn.